

PC 3315

.H47

1852

LIBRARY OF CONGRESS



0 003 209 538 0



Hollinger Corp.
pH 8.5

PC 3315

.H47

1852

Copy 1

STUDIA ROMANENSIA.

PARTICULA I.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILIELMA

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE X. M. IUNII A. MDCCCLII

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

PAULUS HEYSE

BEROLINENSIS.

ADVERSARIJ ERUNT:

OTTO RIBBECK, DR. PHIL.

H. STEINTHAL, DR. PHIL. PR. D.

M. LAZARUS, DR. PHIL.

BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.

1852 7

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

16029

702

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

PC3315
H47
1852

PATRI · OPTIMO ·

D · D ·

Cantilenae illius in extremis quibusque lyricorum carminum strophis repetitae, quam *refrain* appellitant, quae in poesi ex quibus initiis fuerint incrementa docte ut solet et ingeniose adumbravit Ferdinandus Wolfius in nobilissimo illo libro, cui titulus est: *Ueber die Lais, Sequenzen und Leiche* (p. 18. sqq. coll. adnott.). Qui quod effecit certissimum, audientium ubique suas sibi in singulorum cantu partes hic illic arrogandi studio repetitionem illam provocatam esse, id quidem, quamquam doctiorum inde a saeculo XII. poetarum arte et disciplina satis obscuratum, sacrae tamen poeseos documentis comprobatur manifestissimis.

Minus sane idonea eius rei testimonia repetere possis ex Provincialium poesi per se considerata. Nam in antiquissimo, quod versuum intercalarium formam praestet, documento saeculi XI. dimidio priori adscribendo — *Mysterium fatuarum virginum* ¹⁾ intelligo — in eo popularem cantilenae naturam iam ita animadvertas abrogatam, ut

¹⁾ Early Mysteries and other Latin Poems of the twelfth and thirteenth centuries, edited by Thomas Wright. p. 57 — 59.

auditorum sua voce cantum excipientium minus ratio habeatur, quam summae quasi sententiae certis quibusdam locis artificio aliquo iterum iterumque in mentem illorum revocandae. Nam etsi concesseris, versum:

Dolentas! chaitivas! trop i avem dormit!

a litaniarum et responsoriorum indole non abhorrere, desunt certe indicia, carminis, quod Gabrielis angeli personae adsignatum est¹⁾, cantilenam:

Gaire no i dormet

Aisel espos que vos hor' atendet

chori potissimum cantu repetitam fuisse.

Sed verae originis memoriam ne illo quidem tempore prorsus extinctam fuisse, vel nominis specie quodammodo demonstratur. Nam cum ad refringendi vel refrangendi, quae forma in glossis Lat. Gr. apud Du Cangium legitur, verbum recte referantur Provincialia *refrin* et *refrank*, hinc quod ortum est *refranher* — illinc enim potius ductum videtur *refrinhar* (retentir) — id proprie significat frangere et frangendo deminuere sive temperare. Sic habes:

El malautes, quan se planh,

Si no'l val, si s'en refranh.

(God. Rudel)

¹⁾ Monmerqué et Michel (Théâtre français au moyen âge p. 4) quod alterum illud carmen virginibus prudentibus tribuerunt, fortasse adducti sunt plurali numero in his usurpato:

Oiet, virgines, aiso que vos *dirum*

quamquam in quarta stropha expressis verbis cantor dicit:

Gabriels soi etc.

et:

Ab que m conort e m refranh

(Giraldus de Borneil)

collatis vetustioribus Franco - Gallici verbi *refraindre* exemplis, quae exstant apud Raynouardum.

Hinc autem ad *resonandi* significatum facile transitur: quod etiam in verbi usu apparet. Certe loci illius:

E'l rossinholet el ram

Volt e *refranh* et aplana

Son dous chantar, e l'afina

(Rudel)

integram mentem Raynouardum non reddidisse vertendo: 'le rossignol . . . *tempère* . . . son chant', id concedet, qui Philomelae Ityn Ityn lugentis et suam sibi quasi echo revocantis meminerit. Iam vero in nominibus resonandi significatus prorsus regnat. Itaque singulis versibus Guilelmi de Cabestaing et Arnaldi Danielis coniunguntur *chant* et *refrim* quasi de canentium et recinentium vicibus dicta; eodemque modo apud Eliam Clairel 'dousas votz e refranhs'. Item in legibus amoris (leys d'amors fol. 40) *refranh* vocabulum sic explicatur: 'Dansa es us dictatz gracios que conten un refranh, so es *un respos* solamen'. — Sed ne eis quidem locis, ubi consociatione illa destitutum ponitur vocabulum nostrum, Raynouardus interpretans: 'bruissement, agitation, frémissement' satis videtur cogitasse, qua tandem ratione sonus oriatur. Quid? quod *refrim dels penos* (apud Petrum de Bergerac) de ipso illo strepitu dicitur, qui signis inter se concussis efficitur, et qui apud Anelerium Tolosanum et Guilelmum Monta-

nagol commemoratur *refrim de trompas* ¹⁾, quis dubitet, quin de tubarum clamoribus et responsis recte intelligatur? Ne dicam de verbo *refrinhar* a *refrim* ducto, quod de resonando dici certissimum est (cf. quae Raynouardus collegit exempla).

Nec grammatica movet difficultates: modo et litterae t abiectae exemplum admittas velut *plan*, *planh* quod est planctus, et servatae praeter regulam, quae in participio refractus omittitur, liquidae n praesidium repetas a simillimis *peint* — pictus et *feint* — fictus.

Quae cum ita sint, posset sane cuivis carmini eius, quam Refrain appellamus, formae species inesse dici, cuius singularum stropharum versus extremi licet inter se diversissimi audientium choro repeterentur. Verum enimvero cum poetarum instituto, tum rei ipsius quodammodo natura inde a primis temporibus invaluit eandem sententiam eisdem verbis in cantilena repetendi consuetudo, ita ut *repetendi* illo artificio primaria *resonandi* notio etiam reprimeretur. Popularia tamen carmina utramque notionem

¹⁾ Hunc locum, qui in Parn. Occ. p. 278 sic legitur:

Bel m'es, quant d'armatz *vei* refrim

De trompas

Raynouardus (IV. 212 et aliis loc.) sic exhibet:

Bel m'es, quant d'armas *aug* refrim.

Nec audeo equidem unici libri ms. auctoritatem confidentius tueri. Raynouardum vero quae offendisse videtur singularis dictio: *vei refrim*, eam nescio an sic probabiliter interpreteris: 'gaudeo quoties armatos conspiciens animadverto tubarum clamores et responsa'. Cuiusmodi zeugma non inusitatius est apud Provinciales, quam quod in scriptura *d'armas refrim de trompas* offendit, omissum e.

tenuisse videntur: quamquam exemplorum, quae intercederint, documentis demonstrari nequit. Sed auditorum responsa ioculatores non potuisse compendi facere, satis inde intelligitur, quod, simulac in aulam ascenderunt, ab eisdem illi sese abdicabant. Nimirum coram principibus nobilibusque cum eorum, quae ceteri sentirent, non iam aestimarentur interpretes, auditorum certis quibusdam locis assensum ut carmine suo elicerent futurum esse ne poterant quidem sperare. Quin etiam, qui vulgarem poesin non nisi ut novam nescio quam oblectamenti formam mirarentur, poetarum autem popularium ordinem in contemptu haberent, eos puduisset, carminibus illis succinere, quasi sordidioris artis eo ipso sese redderent compotes. Ita factum est, ut quamquam per aliquod tempus fortasse restabat in ioculatorum carminibus cantilena illa, propria tamen vi destituta mox in solemnibus cuiusdam ornamenti vanitatem quasi obrigesceret.

Nobiles autem, h. e. qui equitum ordini se adscribebant, poetas, quibus id maxime cordi erat, ut plebeis sordibus immaculatam suam poesin servarent, quid magis consentaneum erat, quam intercalarem versum ne ornamenti quidem causa primis temporibus dignatos esse recipere? Nec ullum reapse illius exemplum in totius saeculi XII. carminibus investigaveris, exceptis duobus, quae *albas* dicuntur, quod genus solum ex populari usu in aulicorum gratiam elatum fuisse infra magis apparebit. Quodsi carmen illud Godofredi Rudel (Mahn. *Die Werke der Troubadours*. I. pag. 64) opponas, primum echo moneo musici magis lusum quam poetae inventum esse. Deinde autem mirum sane est, in eiusmodi carmine echo illam

inveniri, quod nec argumento aut universa structura quidquam ab eiusdem temporis doctae poeseos monumentis recedat, nec propter inusitatam prorsus, quae inter poetam et mulierem ab eo dilectam intercedit, conditionem ullo modo populi ori accommodari eiusve susurro potuerit temperari. Nec quod et exordio et exitu carminis ipse poeta artem suam quandam gloriatur ('bos es lo vers'), tam de resonabili illa echo quam de clausulis versuum in vocales exeuntibus (vocalische Reime) dictum videtur. Quae cum ita sint, nonne modulis potius consonantiae vocalium accommodatis resonantiam illam additam, postea vero, cum reliquum carmen chartis concrederetur, appendicem etiam illum adscriptum fuisse probabiliter conicias? Cuius si ipsum poetam auctorem fuisse contendas, quidni ceteri postea in tanta levissimum quodque artificium nove excogitatum imitandi cupiditate illum quoque lusum in suam utilitatem convertebant?

Quanto enim, ut simile genus afferam, studio imitabantur, in quod antiquissimorum poetarum ingenium inciderat, ut vel singula vel plura verba certis quibusdam cuiusque strophae locis repeterentur! Quae *voces*, ut ita dicam, *intercalares* (Refrainworte) statim a primis temporibus optimo cum fructu eo adhibebantur, ut quid maxime moverit poetam iterum iterumque efficaciter in memoriam revocaretur. Quamquam lectorum magis interdum diligentia quam auditorum levitate percipi poterat consilium illud. Velut in carmine quod fecit Pons Fabre Ucetiensis (Rayn. Choix de poés. IV. p. 472), cuius priores et extremae strophae in vocem *volers* exeunt, cum argumentum hoc sit:

Fols es qui sec totz sos volers.

Plerumque vero unaquaeque stropha vocabulo illo intercalari insignita invenitur: velut statim in secundo carmine Guilelmi, comitis Pictaviensis (Mahn. l. l. p. 2), et quem Marcabrun inseruit, velut vigilis ut amorem caveant monentis clamor: *escoutatz* (Mahn. p. 50). Alia exempla habes Godofredi Rudel (*de lonh.* Mahn. p. 65), qui singularem suam procul ab amata depereuntis quasi insaniam enarrat, Rambaldi Arausiensis lepidam desperationem, qua in unoquoque versu vox *malastrux* vel *malastre* infertur (Mahn. p. 70. Alia exempla habes p. 79. 80. 81), Petri Alverni religiosam poenitentiam, qua inaequabilis modo paenultimus modo ultimus stropharum versus voce *merce* finitur (Mahn. p. 99), Ricardi Pictaviensis quam in vinculis conscripserat lamentationem (Mahn. 129), amatoria Petri Rogerii (Mahn. 120. 123) et Arnaldi de Marueil (Mahn. 165. 172) carmina, quorum quod hic composuit alterum binis vocibus *amor* et *honor* intercalaribus paullo submissionem amantis animum praeclare significat. Item Bertrandi de Born naenia in Henrici Anglici principis praematuram mortem composita tribus vocabulis *marrimen*, *Engles*, *ira* quasi totius argumenti filo pertextitur. Denique in eo, quod in crucigeros fecit Rambaldus de Vaqueiras, (Mahn. 375) carmine septimus uniuscuiusque strophae versus exit in vocem *crotz*.

Quod quam diversis argumentis adhibitum fuerit artificium satis monstrant exempla illa ex saeculo XII. repetita ad unum omnia. Nec operae pretium est, amatoriae poeseos thesauros curiosius excutere, quae cum in verbis: *amor, cor, coratge, sabor, be, deport, merce, vos, mal, mort, gaug, genta, lenga* iterum iterumque decantatis tota

versetur, quo magis aetate quasi consenuit, ne artis quidem, ut ingenium taceam, singularis cuiusdam illecebris delenit fastidium. Id notamus, quod priori etiam aetate passim obtingit, inde ab XIII. saeculo ineunte sententiosi et arguti nescio quid spirare amatoria carmina ea, quae intercalaribus vocibus praedita sint. (Exempla habes apud Rayn. III. 377. Lex. rom. I. 430. 432. Parn. Occ. 385. Mahn. 318. etc.).

Ingeniosius eadem forma ornantur interdum *naenia*, quae dicuntur *historicae*, velut Guilelmi de Berguedan poema in Marchionis de Mataplana mortem compositum (Parn. occ. p. 153), nec non Almerici de Bellinoi, Almerici de Peguilain, Pauleti Massiliensis, Giraldi Riquier carmina (Rayn. IV. p. 59, 63, 72, 76). Omnium autem luculentissime excogitatum est, quod temporum ieiunitatem quandam et sterilitatem conquerens Alegretus (Parn. occ. 354) primum singularum stropharum versum conclusit vocabulo *sec!*

Sed raro intercalarem vocem offendimus in *serventesiis*, in quo genere, cum et Giraldus Riquier in bellico quodam, cuius singulae strophae voce *guerra* concluduntur, (Rayn. IV. p. 246) carmine, et minus quidem feliciter Bertrandus Folco (Rayn. IV. p. 209) eam formam adoptaverint, prorsus abstinuit ab eadem Bertrandus de Born.

Unde, quae re vera repetitioni illi insita esset vis, non prorsus perspexisse poetas intelligitur ni fallor. Nam ne in *tenzonarum* quidem vafra et disputantium acumini maxime accommodata specie plus semel, quantum scimus, eo inciderunt, ut discriminis quasi argumentum repetitione

aliqua memoriae inculcarent. Dico autem eos versus, quibus utrum iuriurando de non tangenda domina dato standum sit necne ita disputatur, ut intercalari voce *perjur* totius quaestionis summa aptissime indicetur.

Et his quidem imperfectis excultae formae velut pro-
 lusionibus collectis unum restat, quod nulla aetate non
 cum Provincialium poesi erat coniunctum. Nimirum vocis
refrank primaria notio quoniam est echo, quibus saepis-
 sime insignita est *tornada*¹⁾, verborum resonantiae ad
 argumentum totius carminis lepide concludendum accom-
 modatissimae merito huc referuntur. Quae ut extremae
 strophae versuum consonantia quadam solebant efficacius
 indicari, eius artis exempla manifestissima statim apud
 omnium, quos novimus, antiquissimum poetam Guilelmum
 Pictaviensem (Mahn. l. l. p. 8. et: Holland und Keller,
Lieder Guillems IX. p. 9) deprehendas. Quamquam in
 tralaticium usum mox receptam aegre discernas, utrum
 consilio magis debeas, an casui, an ipsis poetae conso-
 nantem extremae strophae vocem aliquam in *tornada* re-
 petere coacti misellis quibusdam angustiis. Conscios autem
 artis suae fuisse et Bernardum Ventadorem pauca quae
 exstant notatu digna exempla arguunt (Mahn. p. 16. 34)
 et Godofredum Rudel quod apud Mahnium legitur p. 66,
 et Rambaldum Arausiensem, quae ab eodem edita sunt
 p. 80 et 86 (ubi ansam dedit tenzonae natura, et lucu-
 lentius etiam in Parn. Occ. p. 166), quibus addas Petrum
 Arvernum (Mahn. p. 93, cum consonantia quae dicitur

¹⁾ Malui enim nomina antiquis incognita barbare eloqui, quam tenebrosis verborum ambagibus fastidium movere.

ambigua¹⁾ et Petrum Rogerium (Mahn. p. 119). Quos contra rem minus quam speciem externam respexerunt Arnaldus de Marueil et Giraldus de Borneil, nec Folquetus Massiliensis aut Pons de Capdueil praestant, quod ceteris acutius excogitatum esse videatur.

Quid? quod ne Bertrandus quidem de Born, excepta tornada illa apud Mahnium p. 280, acutissimum illud totius carminis quasi umbram quandam in extremo serventesio revocandi artificium umquam usurpavit, quo tamen et Petrus Cardinalis poesin suam (Parn. Occ. 310. Rayn. IV. 347 et 349) et Raimundus Miravallensis et Vicecomes de St. Antonio (Parn. Occ. p. 227. 202) amatoria carmina nonnihil condiverunt.

Haec igitur intercalaris quam dicimus cantilenae primordia cum nobilissimi florentis aevi poetae quamquam inaequali studio, sua tamen quadam opera omnes coluerint, perfectae contra, quae proprie illo nomine dicitur, formae exempla mirum est quam appareant rara in superstite poeseos gurgite vasto. Unde quantum aulica ars a popularis carminis ingenuis fontibus abalienata damni contraxerit, luculento documento conspicitur. Licet enim raritas magis quam ipsa poetica carminum hoc ornatu insignium virtus studium quasi furtim videri possit conciliare, id certe negari nequit, et ad alacriorem canendi impetum instigati et sententiarum turbam inconditam in summam quandam comprehendere illa intercalaris versus forma quasi coacti poetae Provincialium lyrici futurum fuisse ut, si non Roquefortii uniformitatem soporiferam (monotonie

¹⁾ Rührender Reim.

assoupissante') conquerentis taedium, at certe argutiarum illud, quo mox laborare coeperunt, et ratiocinationum frigus effugerent. Cuius pestilentiae in eis quae exstant huius formae carminibus vix levissimae notae offendunt. Atque ipse Giraldus Riquier, qui alias plerumque docet magis quam delectat, tribus quae servatae sunt retroensis aliquantum alacriorem se gerit et vividiozem.

Itaque adolescere coepit intercalaris cantilenae potestas simul cum senescente aulica poesi: cui cum *Franco-Galli* ut propria vi destitutae non nisi offerarum et Provincialium lautitiis collectarum penuria diem protraherent, apud eosdem consentaneum est cantilenam nostram ut popularis poeseos elementum inde a primis temporibus lyricos poetas, qui Provincialium vestigia minus religiose sequerentur, diligenter coluisse.

Ut autem ad *Provinciales* revertar, eorum quae huc pertinent carmina cum per genera sua disposuerint Diezius et Raynouardus (*Poesie der Troubadours* p. 117 sqq. Choix de P. II. p. 234 sqq.), hic quod de numerosis eius generis exemplis ('nombreuses pièces de ce genre') dixit, nisi forte in mscr. libris longe plurima pars lateat, nescio an potius dicturus fuisse credendus sit: 'peu nombreuses pièces de genres très différents'. Gravius est, quod doctorum illorum virorum uterque huc retulerunt *retroensas*. Quo nomine insignia edita sunt quattuor sola carmina; quantum quoddam ex libro ms. a Raynouardo laudatur. Et quam retroensarum legem proponit Raynouardus (II. 238): 'La r. était une pièce à refrain, ordinairement composée de cinq couplets, tous à rimes différents', eam iam Diezius l. l. iure impugnavit. Nam praeter duo illa in adnot. p. 117

laudata carmina aequalibus consonantiis praedita, eiusdem formae habes tertium exemplum cui hoc nomen inscriptum est: tersa retroencha d'EN Gir. Riquier ('No cugey mais d'esta razon chantar.' Ms. 7226. p. 306.). Nec omnino tam vaga lege clara et distincta retroensarum notio efficitur. In quam quae quadrare videntur carmina, alia sine ulla generis nota afferuntur, ut Giraldi illud Hispanici (Rayn. V. 169), alia certis quibusdam generibus sine dubio adscribenda sunt, velut quod Petrus de la Caravane fecit (Rayn. IV. 197) hoc initio:

D'un *serventes* faire

Es mos pessamenz,

et Tomerii serventesium (Rayn. V. 447) et Guilelmi de Berguedan in Marchionem de Mataplana carmen, (Parn. Occ. p. 152) quod his incipit:

Canzoneta leu e plana

Leugereta, ses ufana

Farai e de mon marques.

In Sordelii autem poemate (Rayn. III. 441), quod novas singulis strophis consonantias habet, intercalaris tamen cantilena quasi *estribillo* anteponitur, quod non invenies in eis, quae retroensarum nomine expressis verbis laudantur.

Itaque quid? si retroensae nomen omnino de unoquoque carmine coniicias recte usurpari, quod legitima cantilena intercalari ornatum sit. Quod nonnihil confirmatur integro quodam carminum Giraldi Riquier corpore a Pfaffio ex libris Parisiensibus composito et a Mahnio (*Werke der Troubadours* tom. IV.) edito, cui, exceptis quae recte pro singulari quadam specie habentur *albis* nullae omnino

insunt cantilenaes intercalares, nisi in tribus carminibus, quae retroensae nomine *notantur*. Ceterum inaequales plerumque consonantiae cur in retroensis adhibeantur inde explicatur, quod fortissimum stropharum vinculum ipsa cantilena intercalaris praestabat. Nec eis locis, ubi retroensae voce ipsi poetae utuntur, quidquam de singulari quodam carminum genere innuitur. Nam in his:

Descortz e chansos

E retroenzas i faz (Rayn. V. 40)

et ibidem pag. 171: 'en aissi cum es de cansos e de verses e de pastorellas e de retroenchas e de descortz e d'albas e d'autras diversas obras', quamquam bis distinguuntur cantionum et retroensarum notiones, huius tamen forma ab illa nulla alia re quam ipso cantilenaes nostrae intercalaris usu debebat differre.

Iam vero ipsum retroensae nomen, quamvis per se non satis firmum coniecturis fundamentum videri possit praebere, nostrae opinioni adeo non adversatur, ut vel hinc aliquantillum praesidii audeamus repetere. Nam ut vocabulo *refrain* rei ipsius eo nomine significatae originem vidimus indicari, ita retroensam, quam *retroientiam* recte interpretatus est Wackernagelius (*Altfranzösische Lieder und Leiche. Basel. 1846, pag. 183*), dixisse videntur, qui carminum intercalaribus versibus praeditorum speciem externam certo nomine fuerint descripturi. Nimirum unaquaeque eorum carminum stropa in eam, quae primae strophae exitu expressa erat, totius poematis summam quasi revertitur, vel *retro it*, unde vernacula lingua hanc vocem aptissime interpreteris: *Kehrrimied*.

Quod cum Diezius etiam videatur innuere (p. 117.),

alios tamen antiqua Franco-Gallica forma *rotuenge* in varios errores perduxit. Quam velut Wackernagelius (l. l.) ita explicat, quasi sit ‘*eine durch Verdumpfung des unbetonten Vocals entstandene Nebenform von retroensa*’, Wolfius autem (*Lais. pag. 248*) eo potius inclinatur, ut a musico illo instrumento, quod vocatur *rote*, *rotte*, illam vocem ortam esse credat. Nec tantum equidem mihi sumo, ut in tantis fluctibus certi quidquam et ab omni dubitatione exempti posse constitui dicam. Sed ne ab instrumento illo *rote* vocis nostrae origo repetatur, satis cavere videtur cum ipsa formae *retroensa*, cuius secundaria apud Provinciales nulla exstat, vetustas, tum carminum illorum, quae intercalares versus habent, natura, quantum ad argumenta spectat, adeo non distincta, ut vix potuerit huius potissimum instrumenti modos cantui consociandos semper efflagitare. Quid contra probabilius, quam simillimas voces olim, nec tamen prius quam apud Franco-Gallos antiquiores, inde confusas esse, quod intercalaribus versibus praedita carmina Provincialium et inprimis Franco-Gallorum huius instrumenti modis accommodata canebantur? Ita ut indocta multitudo de vera vocis ‘retroensa’ origine secunda consociata alias carmen et instrumentum nomine etiam quodammodo consociaverit.

Iam vero eorum carminum, quae ad hanc amplam notionem quadrant, numerum exiguum qui per genera disposuerit, praeter ea, quae diserte retroensae nomine notantur, inveniet quinque carmina amatoria (Rayn. III. 433, 441, V. 169; Parn. Occ. 373; Auguis, *les poètes français depuis le XII^e siècle etc.* I. 210), tria serventesia (Rayn. IV. 197, V. 447; Auguis I. 142), unum Petri Cardinalis

sacrum (R. IV. 442), cum quo Folqueti Massiliensis alba sacra (Mahn. 335) nescio an certet de antiquissimi intercalaribus versibus ornati exempli dignitate. Quod de sola docta poesi intelligendum esse non est cur moneam. Nam quae ex Mysterio fatuarum virginum laudavi carmina ostendunt, quanto studio intercalaris cantilenae forma multo ante in populari poesi fuerit exculta. Itaque vide an retroensarum quoque nonnullarum, velut earum quas Hammeus de la Broqueira, Sordel et Elias Clairel fecerunt, venustam alacritatem item popularis potius poeseos spiritu instinctam iure existimes, cum contra Guilelmi Adhémar poema, cuius post binas strophas permutantur versus intercalares, umbratilioris artis subtilitatem aperte prodat.

Sed ne subtilitatis quidem huius illecebris ullo modo cessit popularis poeseos genus quoddam, quod pristina forma sua aulicae poeseos elegantiam prorsus aequiparet. Dico enim *albas*. Quibus qui semper inserti sunt intercalares versus sive auditorum, qui cantus ipsi se participes redderent, studio, sive alio modo orti, tam ad artis praecepta apposita vi animum percutiunt, qua efficaciorē ne doctis quidem poetis umquam contigit excogitare. Nec sane ipsi illi docti poetae vel sensu vel modestia ita caruerunt, quin simplicem et ingenuam huius formae venustatem priori saltem tempore studiose servarent. Et, ut ad singula progrediamur, quam Raynouardus II. p. 236 edidit alba, ignotae cuidam poëtriae (sine certa causa) adscripta, vix potest non pro populari poemate antiquo haberi: tam ab omni artis disciplina soluta lyrici generis elementa quasi ederae incultae folia ad prisca epici carminis velut rudera habes applicata. Sed elaboratius etiam

Giraldi de Borneil illud (Mahn. I. 191) '*Rey glorios*' non scribendi tantum genere, sed sententiarum etiam ingenuitate quadam mirum differt a doctae poeseos lyricae exemplis eodem tempore prolatis. Quam autem dulciter movet animum, qua matutinae lucis rigor in uniuscuiusque strophae exitu improvidis quasi in memoriam revocatur, cantilena intercalaris! Etiam per XIII. saec., quamquam forma albarum quoque varie immutata, et intercalaris versus et nescio quid ingenuae teneritatis in hoc genere fideliter servabatur. Argumenta autem iam Folquetus Massiliensis sacra intulerat (Mahn. 335). Cuius hymno matutino adiungenda sunt alia sacra poemata, quorum vel intercalari cantilena matutina lux tangitur, vel singulae strophae vocula certe *alba* concluduntur; quae intercalaris vocis forma supra a nobis omissa praeter Cadeneti quae proprie dicitur albam (Rayn. III. 251) non ita multis exemplis comprobatur. Referri autem huc possunt Bernardi de Venzenac et Guilelmi d'Autpol carmina (Rayn. IV. 432, 473), quorum alteri duabus voculis intercal. *be* et *mort* insuper insertis notabilius etiam accessit ornamentum. Splendidissimam cum integra cantilena intercalari habes Giraldi Riquier albam '*de la maire dieu*' (Mahn. IV. No. LXVII). Idemque poeta pulcherrimi illius carminis auctor est, quo nocturnae solitudinis miseriis descriptis haec additur cantilena intercalaris:

E dezir

Vezer l'alba

(Rayn. III. 461)

Simili ratione matutinam lucem desiderans Ugo de la Bachelerie (Auguis I. 281) dicit:

per aleujar ma pena
 Vuelh far alb' ab son novel.

Qui versus vide an eo spectent, ut ante poetam illum non nisi quae conquererentur aurorae adventum albas compositas esse concludas, quales etiam Bernardus de la Sala et Bertrandus de Lamanon (Rayn. V. 68, 74) in ipsa universae reliquae lyricae poeseos ruina vere populari calore cantarunt.

Quae vero sola restat unica alba intercal. versibus destituta, a Raynouardo (II. 235, adnot. 6) commemorata, eam integram ex manuscriptis quibusdam libris descriptam in dissertationis huius calce adieci. Quod carmen et inaequales consonantiae (*tendia — vida*), et versus negligentius facti et consonantiarum vicissitudines per diversas strophas sine certa norma permutatae et dicendi inprimis genus simplex et vividum¹⁾ una voce conclamant originis esse popularis, quod etiam ἀνωνύμω illo, quod modo laudabam, poemate vetustius habuerimꝑ. Nam semel recepta legitima albarum cantilena intercalari, cuius illic nil nisi vestigium restat in repetitis

Gran paor ai

E gran esmay,

valde dubito num popularis poeta ullus ausus fuerit albam in vulgus emittere eo ornamento destitutam.

Serenae num popularem habuerint originem, nequit ex unci, quod superest, exempli Giraldi Riquier (Rayn. III. 466) indiciis pro certo effici. Quo quamquam raro

¹⁾ Velut: Gaita, s'ieu ti tenia,
 De mas mas t'auciria.

in Provincialium poesi *romanzae* cuiusdam exemplo tertia persona vesperi adventum expetens amator inducitur, tamen ingeniosus alioquin poeta novarumque formarum felicissimus inventor quidni, ut haberet, quod albarum generi quodammodo opponeret, eo ipso consilio populari illi in romanzarum speciem studio aliquid potuerit concedere?

Nec certiora ad *baladarum* et *dansarum* naturam cognoscendam habes indicia, quarum et nomina saltatoriam poesin innuere, et a Raynouardo (II. p. 242¹⁾ et 244) allata duo exempla aequabili quodam versuum flumine et cantilenae intercalaris hilaritate nonnihil videntur in eam notionem quadrare. Sed inter retroensas etiam sunt, quae nihil eo nomine illis cedant, velut quod supra laudavi carmen (Parn. Occ. p. 373) ab Hameus de la Broqueira compositum. Quod vero laudat Raynouardus (II. 241, adnot. 1), inde etiam dubitare possis, num omnino intercalari cantilena hoc genus non potuerit carere. Certe quod *baladas* attinet. Quam enim Diezius exhibuit *dansam* (p. 117) et ipsam intercalari cantilena destitutam (cf. Rayn. V. 40), ea cum ne probabiliter quidem videatur ad hanc speciem referri²⁾, in tota quaestione discernenda vel nullam vim habet, vel satis exiguam.

¹⁾ Cuius paenultimam stropham, quae tornadae naturam prae se fert evidentissime, nonne ultima aptius in exitu carminis posueris?

²⁾ Certe abhorret ab ipsa, quam Diezius proposuit, huius poseos descriptione: *Es sind flüchtige, mitunter leichtfertige Lieder, bei welchen mehr die Melodie als der Inhalt in Betracht kommt.* Ergo saltem non repugnare debebat saltandi modis carminis argumentum, velut eius quod nomine Arnaldi d'Entrevenas circumfertur. Cuius ni fallor haec sententia est: *Blacatii modulorum (sonet enim demi-*

Maiores etiam turbas excitant quas ipsi Provinciales eius rei protulerunt interpretationes. Primum enim, quem supra ex 'legibus amoris' attuli, locus hic: 'Dansa es us dictatz gracios que conten un refranh, so es un respos solamen' non nisi vi quadam in duo illa nostra exempla potest adhiberi. Sane cum baladae cantilena intercalaris:

Coindeta sui

ter in quaque stropha repetatur, dansa contra in extrema tantum quaque stropha habet suum:

Hai! s'en brieu no la vei, brieumen morai.

At quo iure verba illa 'conten un refranh' hoc modo interpreteris? — Alterum, qui in legibus amoris (fol. 41) exstat, locum: 'bals es divers de dansa . . . bals a X coplas o mays' vix recte intelliges, nisi totius orationis integrum filum cognoveris. Nam quod certam quandam poseos speciem esse Raynouardus existimat *bals*, ea non magis alibi commemoratur, quam lyrica carmina in decem vel plures etiam strophas perducta umquam investigavimus, praeter serventesium illud adversus Romam scriptum (Rayn. IV. 309). Quem quidem locum vel sine accuratiore

nutivum vocis in altera stropha positae *sos*) ita sum aemulus, ut et discordia carmina (descortz) et cantiones et retroensas ea forma (i) libenter facturus sim. Et quoniam video, quantopere illi sui modi placeant, serventesium etiam, si ea forma fieri posset, essem compositurus. Quod cum fieri non possit (quoniam diversissimas nimirum serventesium et saltatorium carmen formas sibi poscunt), dansam illis modis faciam, quam in amore fideles canant. Num igitur eo ipso carmine debebat promissum solvere? An quale sequenti stropha Blacatio dedit de arte bene exercenda consilium saltantium cantui erat accommodatum?

librorum notitia sic explicaverim: ‘id quod *bal* appellamus, differt a saltatione . . . illud enim denis vel pluribus saltantium paribus componitur’.

Amatoria carmina saepius propter formae quandam facilitatem vel baladas vel dansas dicta esse, docere videntur, quae apud Raynouardum (Lex. rom. s. v. *dansa* et *baladeta*¹⁾ leguntur. Quae num aut saltantium cantui semper destinata aut intercalari cantilena semper ornata fuerint, non liquet. Nec quas dixerit Giraldus Riquier *dansas doblas*, nunc potest divinari.

Graviora vero protulit Faurielius (*Hist. de la poésie provençale* II. p. 90). Quamquam quod ex unicae, quae superstes est, baladae indiciis et loco illo, qui in vita Raimundi de M. exstat, idem conclusit: *Il y a même quelque apparence, que la culture de ces genres fut abandonnée aux femmes*, cum et de poetis et de poetriis aequa in promptu sint testimonia, ea quidem species fefellisse videtur virum doctissimum. Sed ad intercalaris cantilena naturam accuratius perspiciendam nonnihil conferunt haec (ibid. p. 88 sq.): ‘*Les paroles du chant décrivaient une action, une suite de situations diverses, que les danseurs reproduisaient par leurs gestes. Le*

¹⁾ ‘Ela entendia en un cavayer, que avia nom Guillem Bremon, don ela fazia sas dansas’; porro:

Va, baladeta, tost de cors ten via
E saluda me ma douss’ amia.

(Sine nomine auct.)

et:

Dona N’Auda, baladas ni chansos
No uuelh faire, que no y parle de vos.

(Pons de Capdueil.)

chant était divisé en plusieurs stances, terminées chacune par un refrain, le même pour toutes (num ergo de dansis solis haec omnia dicta?). ‘*Les danseurs agissaient ou gesticulaient isolément, pour imiter l’action ou la situation décrite dans chaque stance: au refrain, ils se prenaient tous par la main et dansaient en rond*’¹⁾, *d’un mouvement plus ou moins agité*. Et eos quidem choros iam a doctis poetis fuisse repertos. ‘*Ils en restreignirent les sujets et les motifs à des motifs, à des sujets de galanterie*’ etc.

Unum de duobus illis, quae nec auctoris nec temporis ulla nota insignia sunt, carminibus saltatoriis constat, nimirum ea illa aetate facta esse, qua Franco-Gallicae poeseos vi invalescente languescientia Provincialium lumina coeperunt obscurari. Itaque in hanc aemulam artem iam erit animadvertendum.²⁾

¹⁾ Cf. Wolf. Lais. 185 (Caroles).

²⁾ Quam inter ‘Pièces à refrain’ numeravit Raynouardus *rotundam* (Ronda) non magis huc duximus referendam, quam, cum de vocibus intercalaribus diximus, vel grammaticae, quae dicitur, vel ambiguae consonantiae, vel *sextinae*, vel aliarum formarum fecimus mentionem. Nam inter illam speciem easque, quas his paginis descripsimus, cum non nisi externa quaedam intercedat similitudo, Franco-Gallicis demum, quae *Rondeaux* dicuntur, carminibus consociata reperias *rotundae* et poematum intercalari cantilena praedictorum elementa, quamquam cantilena illic vi praevalente.

Provincialium cantilenas intercalares dum perscrutamur, iam eam aetatem transgressi sumus, qua illi in finitimorum superioris Galliae poesin auctoritatem suam coeperunt exercere. Iam ut ad saeculum XII. redeamus, quod animadvertimus, quantillum intercalari cantilenaе aulicorum poesin proprie dicta concesserit, *Franco-Gallicorum* poetarum lyricorum arte antiquissima optime confirmatur, quibus tamen copiosa et varia eius formae exempla ex popularis poesios floribus repetita debebant obversari. Quibus accedit quod auctorum suorum antiquissimi poetae Franco-Gallici vestigia minime tam religiose sequebantur, quin intercalaris cantilenaе licentiam sibi sumere potuissent, si modo aut ad artem ornandam idonea visa, aut ab ejus artis natura non prorsus aliena fuisset. Nam non in exiguis tantum rebus nova illos poetas conatos esse satis demonstrant, quae de stropharum structura ab eis commutata observavit Wackernagelius (*Altfr. Lieder und Leiche* 174 sq.). Quamquam eo ipso adstrictiori, cui in consonantiarum usu imperitia quaedam initio favebat, triadum ordine adeo carminum tenor interrompebatur, ut intercalaris cantilenaе aequabilitati aditus tantum non intercluderetur.

Itaque praeter Ricardi Pictaviensis carmen in vinculis scriptum, quod scilicet Franco-Gallicae etiam dialecto accommodatum exstat, et Dominae de Fayel illud (*Chansons du Châtelain de Coucy, revues etc. par Fr. Michel*, p. 95) nullum ex saeculo XII. superest exemplum cantilenaе intercalaris. Cuius rudiores etiam illae, quas a Provincialibus initio usurpatas esse ostendimus, formae non nisi raro et apud antiquissimos poetas offendunt. Velut quod Christianus Tricassensis (Auguis I. 453) duas amatorii carmi-

nis strophas concludit voce *secours*, itemque intercalares voces produunt ex XXIX. castellani de Cociaco carminibus duo (Ed. Michel. p. 25 et 28)¹⁾, quae sive insita virtute sive singularitate sua nitidiorem quendam, quam in Provincialium poematum turba soleas reperire, colorem induerunt. Nec in Gilleberti de Berneville carmine (Wack. l. l. p. 54) quae ultimis duobus singularum stropharum versibus subiunguntur voces intercalares sua quadam vi destitutae sunt.

Prorsus autem resonantiam nostram aspernantur in epodis illis, qui *tornadarum* partes explebant (Envois). Nam nec levissima illa apud Theobaldum Campanum vestigia (*Chansons de Thiebault* IV. etc. par P. Tarbé p. 7, 11, 24, 68) ullo modo poetae consilio videri possunt debere, nec aut Albuini de Sezannes (*Chansonniers de Champagne, éd. p. P. Tarbé p. 16*), qui tertiae strophae ultimos versus tres in quarta eaque extrema nonnihil commutata repetiit, aut Roberti de Memberolles (s. XIII. dimidiati; ibid. p. 74), qui primam et extremas duas strophas vocibus *sans fauseer* concludit, exempla paucissima, quamquam idem quod tornadarum voces intercalares efficiunt, tantum valent, ut a prisco munere suo epodos in Franco-Gallicorum lyricorum docta poesi non defecisse inde possit comprobari. Modo ne prorsus negligenter ab illis hanc speciem tractatam esse credas Wackernagelio (l. l. p. 175): qua ne potuisse quidem eosdem carere, copiis hoc nomine: *Serventois et sottes chansons (Valenciennes 1827)* collectis satis arguitur.

¹⁾ In quorum altero intercalaris vox *merchi* unicuique strophae extra versus adiecta velut intercalaris cantilenae vice fungitur.

Quem librum omnino consulere debet quisque, quae in saec. XIII. et XIV. de artificiosae poeseos lyrica natura notiones valuerint, inquisiturus est. Unde quae exstant quod ex sodalitorum poeticorum disciplina delicatae sane elegantiae magis quam scholasticae severitatis adoptarunt uniformem colorem, inde certarum quarundam legum quasi codici coniicias poetas illos obsecutos esse. Velut praeter tornadam (Envoi), qua non supersedere potest poesis illa, statim animadvertitur et quae Provincialium exemplo diligentissime per omnes strophas ducitur consonantiae aequalitas, et quod deest ubique cantilena intercalaris. Quae quomodo factum sit, ut apud similes poetarum ordines saeculo XV. exeunte pro certa lege recepta etiam causa fieret poetandi, libro illo declaratur, cui hic titulus est: *Ritmes et refrains des Tournaisiens, édités par Fr. Hennebert, Mons 1847.*

In eo enim superioris Galliae poetarum serventesium Provincialium auctoritatem numquam deseruerat. Itaque etiam historica illa serventesia tria Hugonis de la Ferté (*Romancero français*. Paulin Paris p. 182 — 192), quae coniuratorum adversus Blancam Castellanam et Theobaldum Campanum partes tuentur, carent cantilena illa. Unde fit, ut quae reapse sit serventesii natura, clariori etiam in luce ponatur intelligaturque, non populares, qui partium turbulentis tempestatibus studiis inserviant inflammandis, cantus, verum libellos potius cavillatorios et probrosos esse, melica forma compositos. Et Provinciales quoque poetae recentiore demum aetate aliquam popularis illius formae similitudinem admiserunt, nec nisi rerum vel gestarum vel gerendarum gravitate solito vehementius commoti solici-

tioris animi quasi formulam proposuerunt cantilenam intercalarem. Velut in Guntheri carmine, cf. Wack. p. 59.

Nihil vero nisi quae universae aulicorum poetarum arti lyricaе communis erat formam de serventesiorum natura retinuerunt illa *Serventois et sottes chansons*. Nam et amatoria et sacra et in quamvis occasionem composita carmina vocabantur *serventois*, ita ut quodvis vere aulicae artis poema, alio nomine deficiente, hoc videatur notatum fuisse. Historicorum, quae proprie dicuntur, carminum ex saeculi XIII. dimidio altero exiguum omnino numerum repetas: XIV. demum saeculo Rutebovii, ingeniosissimi et vere popularis poetae, cuius in sanctorum fratrum ordines carmen derisorium (*Oeuvres de Rutebeuf. éd. par A. Jubinal I. 170*) intercalari cantilena instructum est, exemplum secuti sunt¹⁾; quae cantilena in XV. saeculi carminibus historicis tandem fere pro lege sanciebatur.

Verum popularis poesëos deliciis non poterant tam pertinaciter superioris quam inferioris Galliae poetae resistere. Quod vel collectis a Wolfio (*Lais. 24—25*) documentis apparet, quibus ex XIII. et XIV. saeculo ineunte ea intercalarium carminum exempla adiiciemus, quae exstant apud Wack. l. l. p. 12, 22, 82; Auguis II. 22; Keller, *Romvart* p. 265, 267, 275, 284, 285, 287, 644, 645; Tarbé, *Chansonn. de Champ.* p. 12, 41, 57, 60, 100, 117, et quod (p. 4) unicum Franco-Gallica poesëis antiqua praebet exemplum ludi partiti cantilena intercalari instructi, dilogium scilicet quod est inter Perrin d'Angécourt et Amorem; porro apud Arth. Dinaux, *Trouvères cambrésiens*

¹⁾ Cf. Eustachii Dechamps quae *balades* appellantur poemata.

I. 33, 37, 38; II. (*Trouvères de la Flandre*) p. 307. Quo autem magis gliscebat Provincialium auctoritas, eo efficacior tam in numeros quam in sententias carminum vim exercuisse intercalarem cantilenam consentaneum est. Itaque cum Campanorum poetarum, quorum Theobaldus rex *χορυφαῖος* est, quasi chorus a delicatiori amatoriae poeseos sublimitate non nisi timide ac pedetemptim descenderet, contra in Artesia et Flandria provinciis popularis et doctae lyrica poeseos elementa eo feliciter permiscebantur.

Nominis communitate nulla videntur ea, quibus interc. cantilena inserta erat, aulicorum superioris Galliae poetarum carmina fuisse consociata¹⁾. Certe vocis *retruange* non ea est notio, quam principali eius formae Provinciali vindicavimus: immo omnino non videtur posse enucleari. Ipse enim sibi adversatur Roquefortius, qui cum simpliciter declaraverit (*État de la poésie française etc.* p. 493): ‘*On ne sait pas ce qu’était le rotruenge,*’ alio autem loco (p. 223) docuerit, esse easdem ‘*chansons à ritournelle,*’ hanc descriptionem eo infirmat, quod nullum earum in libris mscr. exemplum se invenisse profitetur. Accedit quod Jacobi Camaracensis retroensa, sanctae virgini dedicata (Wack. 66) caret cantilena intercalari. Quam quod Wackernagelius, qui ad saltandum composita esse carmina illa nomine *retruange, retrowange* etc. notata contendit, laicae cuiusdam formae sacram parodiam pronuntiat, saltem id, quod formae illi proprium erat, parodiae auctorem eodem modo servare debuisse concedet, ac servavit, qui

1) nisi forte, ut supra diximus, serventesiorum nomine.

pastorellam ab eodem allatam in sacrum carmen detorsit. Ergo cantilena intercalaris si a Jacobo Camaracensi omitti poterat, retroensis Franco-Gallicis omnino non erat, necessaria, unde, num omnino ad tripudia recte illud carminum genus retulerit Wackernagelius, redditur incertissimum.

Vel inde, quod et *vocum* intercalarium usus magis magisque abolescebat et cantilena intercalari instructum ludum partitum unicum tantum potuimus indagare, satis apparet, cantilenae illi a doctis poetis Franco-Gallicis propriam et popularem vim paulatim fuisse restitutam. Quae quantum valeret, illustrissimorum poetarum in popularis poeseos formis, quae, ut par erat, cantilena intercalari raro carebant, excolendis studio non poterat non luculentissime comprobari. Quod studium ut Anglo-Normannicarum baladarum poesi superioris Galliae populo olim quasi instinctum erat, ita XIII. saeculo adversus Provincialium exsanguioris artis contagium firmissimo videtur fuisse praesidio, quo muniti id quod tanquam in vitae munere habuerant Provinciales, illi per temporis spatium exercitationis potius et disciplinae causa absolvebant, cuius angustias matura aetate laeti recordarentur. Itaque qua Caramacenses vates impertit Dinaux (*Trouv. Cambr.* 36) laude omnes omnino superioris Galliae poetas lyricos aequè dignos habeas. Quamquam quod hos romantiçorum, Provinciales autem classicorum poetarum nominibus Dinaux voluit discerni, illorum virtutem non videtur integram circumscripsisse. Contra vix erraverit, qui temperamentorum, quae philosophi dicunt, discrimine adhibito, Provinciales (*qui deviennent parfois noblement ennuyeux*), quorum quasi tessera est 'lo dous cossire,' melancholicos, Franco-Gallicos poetas

autem (*dont l'allure franche et roturière plait et amuse presque toujours*), si fas est barbare loqui, sanguinicos appellaverit. Et hinc, ni fallor, optime intelligitur, cur rerum magis quam sui contemplatione delectati obiectivae, quam nunc vocamus, poeseos genera superioris Galliae poetae Provincialibus eisque, qui ceteras linguae d'oc regiones inhabitabant, collegis diligentius coluerint.

Sed dum Gallorum docta poesi cum Provincialium arte composita intercalaris cantilenae fata facilius conspici atque distingui curo, vereor, ne iustae ex primordiis deducendae narrationis continuitatem nimis neglexerim. Quo commode reducimur carminum quodam genere, quae tam inter popularem et doctam, quam inter epicam et lyricam poesin media interposita sunt: dico romanças illas intercalari cantilena praeditas, quarum nomen est *chansons d'histoire*. Quarum popularis natura cum stili quadam conspicitur et structurae simplicitate, tum eo, quod minori tantum ex parte certi auctoris nomen prae se ferunt, nimirum, qui circa a. MCC. in Artesia floruit, Aldofredi Nothi. Cuius quinque romançae post parum accuratam, quam Le Grand d'Aussi recensuit, editionem (*Fabliaux* IV. 80—88) redeunt in Paulini Paris libro *Romancero français* (p. 5—35), primae autem et quintae antiquiorem recensionem secundum Bernensem codicem dedit Wackernagelius (l. l. p. 6 et 3). Descripsit autem virtutes eorum Wolfius (*Annales Vindobon.* 1834. p. 107 sq.), qui quam eis cum Hispanis romançis et Anglicis Scoticisque baladis popularibus intercedere animadvertit affinitatem, eam etiam Leroux de Lincy (l. l. p. 12) innuit, qui praeter unam Aldofredi alteram auctoris nomine destitutam edidit (ibid. p. 15—27).

Praeter haec autem Aldofredi exempla et, cuius tamquam pastorellae exordium est, Ricardi de Semilli quendam romanizam (De la Borde, *Essai sur la musique* II. 217), alia in ‘Romanzero français’ p. 36 — 54 et 70 — 75, et apud Wackernagelium (l. l. p. 84) et in Francisci Michel ‘Roman de la Violette’ p. 329, incertorum auctorum inveniuntur romanzae cantilenis intercalaribus insignes, quae aequae ac ceterae omnes, ut Wolfii verbis (*Ann. Vind.* p. 107) utar, ‘mit den spanischen Romanzen das gemein haben, dafs sie bald eine vollständig abgeschlossene Begebenheit erzählen, und weiter ausgesponnen einen kleinen Roman geben würden, bald nur einzelne Momente, Situationen oder Gemüthsstimmungen schildern, ja solche selbst aus bekannten gröfseren Romanen herausheben und zum Thema wählen.’ Notandum tamen est, ab *ἀνωνύμων* illarum romanzarum abrupta brevitate Aldofredi poemata nonnihil eo differre, quod aequabilem et omnibus numeris absolutum fabellarum suarum decursum diligentius hic perduxit. Hoc autem ipso antiquiora esse anonyma illa carmina demonstratur, quae unde orta sint si inquisieris, omnia reperies, unico illo quod apud Wackernagelium legitur excepto, ex integriorum fabularum copiis fluxisse: quod nescio an priorum quoque nominum, quasi nota sint omnibus, enarratione comprobetur. Quod quin de XII. illo, quod exstat in ‘Romancero,’ deque romanza, quam Michel edidit (Oriaus, Gaïete et Gérars) recte praedicetur, cum ne possit quidem ullo modo dubitari, in ceteris exemplis satis monstrant narrationis lacunae quaedam, quas nulla aut historiae aut mythorum heroïcorum scientia tacite a lectoribus expleri potuisse probabile est. Sed ea

quoque, quae omnibus numeris maxime videantur esse absoluta (velut 'Bele Amelot'), non tam narratiuncularum, quas, ut Wolfius existimat, si ulterius persequaris, in iustarum historiarum ambitum excolueris, quam summarum quarundam ex notis fabulis excerptarum speciem prae se ferunt, unde lyricos sensus suos poetae voluerint pendere. Recentiores contra, qui perfectiorem artem profiterentur, poetas consentaneum erat exemplorum suorum auctoritatem magis magisque ita abdicare, ut suo ingenio confisi componerent, quod per se et aestimari et intelligi posset. Velut memorabilis est quae inter carmina 'Cuens Guis' et 'Bele Isabeaus' intercedit conditio, quorum illud quasi pro populari imitationis Aldofredianae plus dimidio longioris exemplo potest haberi.

Utique hoc non indignum notatu est, consortium inter doctam et popularem poesin lyricam statim ab initio maxime conciliatum fuisse cantilena intercalari. Quae quamquam neutri generi usque necessaria fuerat, nihilominus semel in usum recepta quam ipsa inculta sua simplicitate atque rusticitate miras semperque novas delicias carminibus induerit, sentiet, quisquis romanças illas legerit. Hic satis erit in unum illud, quod in 'Roman de la Violette' exstat carmen digitum intendisse, cuius haec est cantilena intercalaris:

Vante l'ore et la raimme crollet.

Ki s'antr'aimmet soueif dorment.

Cum hac tristitiae suavitate comparatis Floris de Blacaflore lamentis (Rom. fr. p. 64; est autem haec secundum Wolfium¹⁾ omnium illo loco editarum romançarum recen-

¹⁾ Ann. Vindob. etc. 112.

tissima) quantum deesse videtur, deficientis cantilenae damno artificiosiore stropharum structura parum compensato!

Nam politior illa forma ubi aulicorum poetarum arte semel recepta erat, cum epicis et lyricis carminum generibus acriter distinctis eas maxime formas reprimeret, quibus insito quodam studio ducta necdum certis artis praeceptis imbuta populi simplicitas memorabiles res gestas lyrice commentaretur: cantibus qui dicuntur historicis (chansons d'histoire) omnis quasi vita vitalis adimebatur.

X Et indidem factum est, ut omnium prima matutina carmina (aubes) inde a saec. XIII. dimidio prorsus evanuerint, quod genus numquam omnino latius regnavit in superiore Gallia. Duo enim sola novimus eius exempla: quorum alterum, quod ad Floris et Blancafloris fabulam spectat, inter anonymas romanzas illas insertum et quamquam ultra Floris lamentantis aetatem stili vetustate recedens, recte tamen, ut videtur, a Leroux de Lincy (l. l. I. p. 133) saeculo XIII. (ineunti) adscriptum, ut omnino structura vere populari atque, ut ita dicam, dramatica insigne, ita cantilena intercalari, a vigilis cantu repetita, praeditum est significantissima. Alterum vero, a Gace Brulé, itaque ante a. MCCL utique compositum (Wack. l. l. p. 9), iam prorsus eius formae, quae *chanson* dicitur, naturam induit. Sacerarum autem, quas Provincialibus acceptissima fuisse vidimus, albarum nullum in Franco-Gallica poesi vestigium exspectari posse vel inde intelligitur, quod, ut narraui, imperfecta cantilenae intercalaris species numquam apud Gallos usu precrebuit.

Omnium vero epicae poeseos, quae stropharum stru-

cturam receperint, formarum sola per totum hoc, quod tractamus, temporis spatium obtinuit atque etiam ultra perduravit *pastorella*. Quod nescio an maxime debuerit levitatis, quae ei generi magis magisque necessaria fiebat, blandimentis ¹⁾. Itaque eam virtutem Provinciales, cum 'pastorelam' in suam poesin adoptarent ²⁾, studiosè curarunt servandam. Ceterum qui ab his exculti huius generis exempla consideraverit, inde intercalaris cantilenaè nullas omnino in pastorellarum ortu partes fuisse possit concludere, praesertim cum ne Franco-Gallicae quidem pastorellae antiquissimae, paucis exceptis, cantilena illa ornatae sint. Verum tenendum est, aulicae artis contagium vel antiquissima illa exempla iamiam experta esse: rudiorè, quae in principio erat, popularium illorum carminum formam facile concedes historicorum potius cantuum exemplum videri secutam esse. Ac ne posteriore quidem tempore utriusque generis fines severius discernebantur. Iam inter romanças cantilena intercalari praeditas enumeravimus Ricardi de Semilli carmen, cuius primus versus solenne pastorellarum exordium praestat: *l'autrier*. Eiusdem poetae alterum poema (De la Borde II. 216) cum et exordio et exitu ad pastorellarum speciem pertinere arguatur, et ipsa structura prorsus ad romançarum illarum exemplum est accommodatum, et eodem referenda stropharum paucioribus eisdemque longioribus, quam in pastorellis invenias, versibus insignium conformatione, et cantilena intercalari hac:

¹⁾ chansons badines!

²⁾ cf. Wack. l. l. p. 183.

Dame, qui a mal mari,
 S' ele fet ami,
 N' en est pas à blasmer.

Necessariam autem altero saeculi XIII. dimidio pastorellis fuisse cantilenam intercalarem, docet sacra illa pastorellae parodia a Wackernagelio (l. l. p. 186) edita. Quo in genere quod maxime peculiare translatae formae virtutes servari debere monui, id intercalari illius carminis cantilena optime comprobatur, quae cum haec sit:

Chascun lo qui laim et lot¹⁾...
 O. o. matel dorenlot
 Por voir tout a un mot
 Saiche qui mot mar voi malot
 Qui lait marie pour maiot!

non neglexit poeta, quod ad pastorellae naturam maxime pertinet, *lallantem*, ut ita dicam, *cantilenam*.

Cuiusmodi lusum iam Godofredi Rudel carmen quoddam affectasse supra narravi. Franco-Gallorum aulicam poesin quod attinet, in memoriam revocasse iuvabit unum illud, quod in Theobaldi Campani carmine: 'Pour conforter ma pesance' (Tarbé p. 51) legitur: *é! é! é!*, quo fortasse Provincialem illam resonantiam Franco-Gallus imitatus est. Sed feliciter evenit, quod nugae illas soli aurium voluptati intentas defuerunt qui sectarentur. In pastorellis quod diu solis obtinuit iubilum (nam in unico Theobaldi carmine 'Pour mal temps ne pour gelée' Tarbé p. 53 cuique strophae additur *Valara*), eius quidem ex

¹⁾ sc. la mère de Dieu.

ipsa pastorellarum natura originem et propriam quandam vim iure deduxeris.

Nimirum si vel ea, quae Tarbé (*Chans. de Champ.* p. 120 — 124) collegit, exempla animadverteris, velut illud:

Valuru, valuru,
Valuraine, valuru, va!

et hoc: Chibala la duriaus!
Duriaus!
Chibala la durie! et caetera,

vel hoc (Monmerqué et M. Th. fr. p. 22):

Et per lidourees vadou va du vadourenne
et: Validorix, lidorix, lairele!
et: trairi deluriau deluriau deluriele,
trairi deluriau delurau delurot etc.,

his autem consideratis si, quibus in pastorellis primae partes personis delatae sint, memineris, omnes illas cantilenas intercalares statim apparet excogitatas esse ad imitandum tibiae cantum, qui extremam quamque stropham excipere, nonnumquam autem mediae fingitur incidere. Interdum qui solam offendit puellam oves pascentem vel procul audivit pastoris ab illa amati *dorenlot*, vel ipse conspicit eandem '*en sa pipe chantant son dorenlot*' (Wack. p. 77). Quod *dorenlot* utrum locis illis tibiae modos an carmen eisdem adaptatum significet, non liquet. Quodsi de modis potius cogitare liceat, quod hoc quoque loco (Wack. p. 79):

en sa pipe refrainoit¹⁾

La voix de sa chanson

probabile redditur, satis nostrae sententiae stabilimenti accedat, quoniam *dorenlot* illud ubique inter lallantes cantilenas insertum invenimus.

His autem vere pastoriciis cantilenis non mirum est, multas alias voces effutias accedere, quae cum alioquin etiam ut exultantis laetitiae exclamationes in usu fuissent, inter pastoralis tibiae imitationem merum iubilum quoddam intermiscabant²⁾. Quarum cantilenarum cum uberima sit copia, non, ut opinor, singulorum locorum testimoniis religiose indicanda, et simplicissima habes exempla, velut: *Ae!*, *Aeo!*, *o! aeo!*³⁾ (Th. fr. 37, 39, 44) et artificiosissimum sonorum ludum, velut: *Eyois!* *Eyr!* *Eyous!* *Eyu!* *Eyoit!* etc., qui in pastorella quadam (Th. fr. p. 48) consonantiarum, quae praecedunt, gratia per singulas strophas varie permutantur. Cuiusmodi carmen vocatum

¹⁾ hoc est: quoties singulas strophas absolverat, cantilenam intercalarem, quae alias item cantari solebat, in tibia ludebat.

²⁾ Iam in balada quadam Pictaviensi (Leroux de Lincy I. 79. 'La regine Avrillouse'), quae saeculi XII. ultimis viginti annis ab editore ascripta memorabile pantomimi popularis supra commemorati exemplum praestat, singulis versibus additur vox *Eya*. Ceterum antiquissimum esse hoc carmen ut intelligeretur, vix opus erat editoris studio. Quod vel ex ipso argumento, ludo nimirum dramatico illo, apparet, qui inter vetustissima illius gentis instituta videtur receptus fuisse.

³⁾ Quae exclamatio valde dubito num referenda sit ad vocem illam in Anglo-Normannico, qui dicitur 'Chanson de Roland', cantu quasi intercalarem interpositam, de quo cf. Wolf, Lais. p. 189. adn. 22.

fuisse videtur *triboudele*, si Colino Muzes fides, qui in poemate, cuius ab exitu strophae tertii quique versus cantilena *triboudaine triboudele* efficiuntur, quodque non tam vera pastorella, quam ruris laudatio est, haec scripsit:

Ancontre le tens nouel
 Ai le cuer gai et incl.
 A termine de pascor
 Lors ueul faire *un triboudele*.

Quo quadrat, quod in pastorellae cuiusdam¹⁾ strophae altera puella dicit:

Vostre longue triboudaine
 Une autre amor me demeine,

quod nescio an idem valeat ac nostrum *Singsang*, neque ad cantilenam nostram quidquam pertineat.

Quae forma ut totius pastorellarum generis indolem tam insigni ornamento distinxerat, ita populari studio mirifice sustentatam consentaneum est ad servandum et diligenter colendum eum florem eandem nonnihil contulisse. Et ad poetarum usum quid ea forma aptius erat, quae et populi simplicitati accepta, nec artificiosissimae cuique stropharum structurae ullo modo adversaretur, quin etiam suis blanditiis artificiis illis apud populum gratiam quandam compararet? Itaque cantilena illius lallantis regnum mox ultra pastorellarum angustos fines extendebatur. Quo enim Deus optimus maximus, ut morbo quodam liberaretur, Atrebacensium poetarum scholam frequentasse narra-

¹⁾ A Iacobo Camaracensi compositae. (Dinaux, Trouv. Camb. p. 146.)

tur, Adami de la Halle carminis unaquaeque stropha finitur cantilena hac (Théâtre fr. p. 22):

Et per lidourees vadou va du vadourenne.

Quo familiaritate sua cum pastorellarum genere contracta facile poeta ille poterat adduci.

Iam vero singularem quandam intercalaris cantilenaе speciem commemorandi tempus est, quae etsi non solius pastorellae propria, tamen in hoc potissimum genere maxime regnaverit. Nimirum quae in poemate, quod dicitur ‘Roman de la Violette’, et in fabellis nonnullis apud Barbazan et Méon, et in ‘Renart le nouvel’ (unde quae huc pertinent excerpit O. L. B. Wolfius in carminum Franco-Gallicorum editione. Leipzig. 1831. pag. 154—161) inserta sunt carminum initia, uberrimas olim popularium maxima ex parte saec. XIII. carminum innuunt extitisse copias, quae aequalium favorem sibi conciliaverint. Ita fit ut etiam in pastorellis nonnullis (*Thiebaut.* éd. Tarbé 92. *Théâtre fr.* 29, 38, 44 etc.) aliorum carminum initia laudentur, quorum pleraque sententiarum facilitate versuumque brevitate intelliguntur vel carminibus cantilena intercalari praeditis vel pastorellis esse deprompta. Omnium vero frequentissima ea sunt, quorum singulae strophae his locis aliunde sumptis concludantur. Quo quadrant Wolfii haec (*Lais.* p. 188): ‘Manchmal wurden sogar beliebte Refrains, die schon durch allgemeine Verbreitung zum nationellen Gemëingut, zu stehenden Aus- oder Zuerufen, oder zu eigentlichen Sprichwörtern geworden waren, aus verschiedenen andern Liedern, vorzüglich aus volksmässig gewordenen oder eigentlichen Volksliedern, einem und demselben Liede angehängt, so dafs jede

Strophe desselben mit einem andern Refrain schloß, die daher, jeder für sich betrachtet, in Bezug auf dies Eine Lied ihre eigentliche Natur als Wiederholungsverse oder Kehrreime verloren, die aber alle zusammengenommen und in Hinsicht auf ihren bekannten Ursprung und ihre allgemein anerkannte Geltung doch noch diesen Namen verdienten, indem zwar alle Strophen eines solchen Liedes nicht mit demselben, aber doch mit einem Refrain schlossen, und so, wenn auch nicht eine wirkliche, doch eine formelle Wiederholung Statt fand.¹⁾ *Nomen autem intercalaris cantilenaе merito ad hanc quoque formam referri eo videtur, quod vel familiaritate, quam cum laudatis carminibus olim inierant auditores, ut ipsi cantum exciperent, debebant incitari* ¹⁾.

Et sic regrediendo sensim eo pervenimus, ubi Franco-Gallicae cantilenaе intercalaris fontes pateant in aperto. Cuius formae quantum et sacrae et Latinae a clericis exercitae laicae poesi, quantum contra popularibus cantibus debuerint Provinciales poetae, deperditis Provincialis popularis poeseos monumentis non potuimus discernere. Longe feliciter Franco-Gallicae poeseos fatum. Unde et popularis generis antiquissima, et aulicae artis Provincialium auctoritate temperatae, et utroque elemento mixtae excoltaeque in consociatorum poetarum sodalitiis disciplinae documenta exstant luculentissima. Et huius quidem qui vere dicitur

¹⁾ Hinc enim omnem intercalaris cantilenaе usum ortum esse, supra significavi. Itaque ne illud quidem ab O. L. B. Wolfio editum carmen (l. l. p. 57) quisquam negabit ad hanc formam referendum esse, in quo ultimus cuiusque strophae versus repeteretur, si quidem ex primae strophae exemplo iusta fiat conclusio.

flos ultra saeculi XIII. fines recte extenditur; aulicam autem poesin cum his ipsis paginis iam satis videamur pertractasse, restat ut popularis, quam initia illa carminum aliunde inlata prodiderunt, formae incrementa persequamur. Itaque primum de Latinis illis carminibus, quibus Franco-Gallica cantilena intercalaris inest, deinde de sacris poematibus, velut Gualterii de Coinsy illo (Wolf. Lais. 435), de saltatoriis (Caroles), de eis carminibus quae in festos et populares et sacros, velut in paschales¹⁾ dies composita sint, denique de rotundis (rondeaux), quae inter mysteria saec. XIII. intermiscerentur, accuratius dicendum. Nec non inquirendum erit, quam in rerum gestarum cantus (chansons de geste) vim habuerit cantilena intercalaris, quantumque in ea re vel doctae poeseos sacrae auctoritate, vel ipso ingenii impetu effectum fuerit. Verum paucula illa, quae Wolfii de hoc genere commentariis amplissimis adiici possint, si diversa ab illis inventa inveherent, non aude-rem sine erroris suspicione proferre; sin ab illo proposita nihil valerent nisi comprobare et quodammodo interpretari, et doctis viderer nimium et indoctis parum dixisse. Quamquam cum in cantilenas intercalares in sacra poesi adhibitas, et in illas formas quae *caroles*, *rondeaux* et *balades* appellantur, non nisi passim Wolfius aliud agens inquisierit, ea colligenda sane et in uno conspectu proponenda erunt ab eo, qui intercalaris cantilenaе historiam per omnes linguas romanenses fuerit persecuturus. Mihi tamen venia parata erit, quod infructuosiore post diligentissimum messorum spicilegii opera iamiam defungor.

¹⁾ Carmina intelligo, quae Keller (Romvart p. 616 — 621) edidit.

APPENDIX.

Alba ses titol ¹⁾).

Ab la genser que sia
Et ab la mielhs aibia ²⁾)
Mi colguy l'autre dia.
Tan solamen,
Ioguan, rizen
M'adormi tro al dia

Mentre qu'ieu m'i iazia
E n sobinas ³⁾) dormia ⁴⁾),
Un baizar ⁵⁾) mi tendia
Tan plazenmen,
Qu'enquer lo m sen
E faray a ma uida.

Gaita, dieus ti maldia,
Lo filh sancta Maria!
Quar tant cochas lo dia.
Gran paor ay
E gran esmay,
Que no i ⁶⁾) perda m'amia.

Gaita, s'ieu ti tenia,
De mas mas t'auciria!
Ia res pro no t tenia
Aur ni argen,
Ni hom uiuen,
Ni res que el mon sia.

‘Amicx NEsteues, uia!
 Qu’ieu remanh uostr’ amia.
 Que si l gilos uenia,
 Gran paor ay
 E gran esmay,
 Que ns ⁷⁾ fezes uilania.

¹⁾ Alba sine nomine auctoris. Quem ne quis Ioannem Stephanum esse propter quintae strophae initium sibi persuadeat, cavent et quae supra de populari eius carminis natura diximus, et quae de vita I. Stephani saeculi XIII. dimidio ascribenda e reliquis XII eiusdem poetae carminibus elucent.

²⁾ *aibia*] *aibida* ms. cf. Rayn. I. 445.

³⁾ *en sobinas*] *ἐπαξ λεγόμενον*, ab eo quod est *supinus*.

⁴⁾ *dormia*] *mi adormia*, codicis scriptura, et metro adversatur et sententiae. Somno enim sepultum magis placet quam obdormiscentem die appropinquante basiis puellae expergisci amasium.

⁵⁾ *un dous baizar* codex.

⁶⁾ *no i*] *non i* codex, quo versuum aequabilitas interrumpitur.

⁷⁾ *ns* usitatissimum pro *nobis*. Hoc tamen loco fortasse pro *no us* positum est (*que ns*). Raro enim post timendi verba negatio omittitur.

Primam eamque unicam alius cuiusdam albae stropham ex eodem libro (ms. 7226) descriptam Mahnii liberalitas hic adiungendam mihi tradidit, de cuius aetate nihil certi poterit enucleari.

Alba ses titol.

Quan lo rossinhol s’escria
 Ab sa par la nueg e l dia,
 Ieu suy ab ma bell’amia
 Ios la flor,
 Tro la gaita de la tor
 Escrida: drutz, al leuar,
 Qu’ieu uey l’alba e l iorn clar!

V I T A.

Natus sum Berolini anno huius saeculi XXX., patre Carolo, matre Julia e gente Saaling, quorum quotidie fruor amore suavissimo. Litterarum etiam rudimentis a patre instructus anno MDCCCXXXVIII. gymnasio Friderico-Guilelmo traditus sum, quod directoris Spilleke, pia semper memoria colendi, auspiciis tunc temporis florebat. Ubi ceterorum praeceptorum eximia praeparatum disciplina maturiorem aetate inprimis Yxemi et Rankii doctrina elegantissima ad omnem politioris humanitatis cultum adduxit. Itaque superato examine vere anni MDCCCXLVII. primum huius Universitatis civibus a rectore magnifico Boeckhio ascriptus, ut antiquitatis vigore animum ante omnia corroborarem, per biennium philologicas maxime frequentavi lectiones. Deinde Bonnam studiorum sede collata artis potissimum historiae per duo semestria operam dedi. Sed quod paulatim in pectore quasi pullularat Romanensium litterarum inexhaustas copias adeundi consilium iam praeclarissimo Diezii exemplo ita invalescebat, ut Berolinum reversus vere anni MDCCCL. iterumque a rectore magnifico Buschio inter academicos cives receptus totum me coeperim ad hanc disciplinam convertere. Quam cum per hos duos annos tamquam unitis viribus pertractaverim, et eruditione multiplice et singulari benevolentia mirifice studia mea adiuverunt et confirmarunt, quibus ex intimo corde gratias

dico quam maximas, viri clarissimi Huberus et Mahnius. Quid autem patris optimi curae amicissimae debeam, hoc 'latet arcana non enarrabile fibra.'

Scholis usus sum philologicis Boeckhii, Lachmanni, Heysii, Curtii, Grimmii, Huberi, Welkeri, Ritschellii, Diezii, Bernaysii; historicis Rankii, Loebellii, Waagenii; philosophicis Trendelenburgii, Hothonis, Werderi; quibus viris clarissimis suas cuique gratias dico ex animi sententia.

AUG 20 1902

LIBRARY OF CONGRESS



0 003 209 538 0

THESES.

1. Theobaldi Campani erga Blancam Castellanam amorem e poetae illius regii carminibus comprobari nullo modo posse.
2. Veram artem nihil aliud affectare, atque quod Michael Angelus Buonarotti verbis 'l'immortal forma' expressit.
3. De vocis 'tornada' significatu rectius Raynouardum quam Diezium videri iudicasse.
4. Antiquissimum legitimae comoediae 'de capa y espada' exemplum praebere Torris Naharronis poema, cui titulus est 'Comedia Calamita'.
5. Qui fieri possit, ut res sub specie aeterni conspiciantur, Spinozam non demonstrasse.
6. Praeclarum esse Goethii in eo libro, cui 'Wilhelm Meister' titulus est, inventum, quod fati eiusque potestatis, quae casui ab aliis tribui solet, partes totas fere hominibus vindicavit: sed minus recte id institutum esse, quod eos moderatores ipsos fato liberos esse statuit.

PC 3315

-H47

1852

LIBRARY OF CONGRESS



0 003 209 538 0

